



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome  
Controuersiarum Omnium huius Aeui  
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis  
Quadripertitis digestarum**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiae, 1624**

XXXI. An Baptisma Ioannis sit idem, quod Christi Sacramentum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11726**

## QVÆSTIO XXXI.

An Baptismus Ioannis sit idem, quod Christi Sacramentum?

**L**VTHERV s lib. de Baptismo Legis, Ioannis, Christi, tria asserit discrimina Ioannis, non fuisse Sacramentum: Non remisisse peccata; Fuisse rebaptizandos in Christo.

**L**VTHERANI OMNES & CALVINIANI, & Zwingliani; quod ea sententia patum cum cætera de Sacramentis doctrina cohereret; contrarium docuerunt. *Kemnitius* solam rebaptizationem in Christo relinquit in medio. *Petilianus Donatista* idem olim est commentus.

**A**VTOR. Christi & Ioannis Baptisma non fuerunt idem Sacramentum. **I.** Quia, suum Ioannes ipse Baptisma instituerat: unde & nomen tulit ab autore, non ut à ministro. Nec enim hominis est, Sacramentum nouæ legis instituire. **2.** Quia, non baptizauit in nomine S. Trinitatis: quod fingunt Centuriatores *1. l. 2. c. 6.* *Et si, Act. 19.* in eum qui venturus esset post eum, ut crederent.

Probabile, nullâ usum formâ: sed cæteros baptizasse, ut Christum: at Christum in nomine Venturi ab eo baptizatū fuisse ridiculum videtur. **3.** Quia, *Melanchthon* in Locis anni 1558. *Kemn.* in definitione Sacramenti; volunt Baptismum & Cœnam à Christo instituta esse, & solū potuisse. **4.** Quia, Baptismus Christi nō debet iterari; debuit autē Ioannis. Quia, ait *Aug. l. 5. de Bapt. c. 9.* *Baptisma Ioannis non facit Baptismū Christi.* **5.** *Petilianū Donatistam S. Augusti lib. 2. contra literas Petiliani, c. 32. 34. 37.* iam olim refutauit; at damnauit hæresios, idem dicentem; Vnum eiusdemque efficaciam esse Sacramentum Baptismum Ioannis & Christi. Vide *Geneal. p. 3. q. 9.*

## QVÆSTIO XXXII.

An Baptismus Christi & Ioannis eiusdem fuerint efficacia Sacramentalis?

**L**VTHERANI, excepto *Luthero*, itemq; **CALVINIANI** post *Caluini* in *Antid.* & *Inst. l. 4. c. 15. §. 7. 8.* affirmant omnes.

**S**VADENT istis. **1.** Quia erat, *Mar. 1. Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* **2.** Quia, in hoc, *Mar. 1. Ego baptizavi vos aquâ; ille vos baptizabit in Spiritu S.* distinguitur ministerium externum Baptismæ ab interno Christi. Deinde; Baptismus Christi erat hic illa Pentecostalis missio Sp. Sancti: iuxta *Act. 1. 11.* **3.** Patres *Caluino* temnendi sunt.

**A**VTOR. Ita *Concil. Trid. Sess. 7. Can. 1.* *Si quis dixerit, Baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathematisit.* **1.** *Mar. 1. Ego baptizavi vos. &c.* **2.** Sic S. Patres quâ Græci, quâ Latini apud *Bell. l. 1. de Bapt. c. 21.* **3.** Ioannis officium erat, esse præcursores Domini, parareq; viâ ei; quod non est dare salutem, sed disponere & dare scientiam salutis. Baptismus autem Christi iustificat verè.

**D**ICO AD **I.** Baptism<sup>o</sup> Ioannis vim habuit ex opere operantis ad remittenda peccata; at nō ex opere operato, ut Christi: de qua quæstio est. Istud vero maximū est discrimen. Ita Patres.

**A**D **II.** Non Ministerii; sed Temporis fit distinctio, quo distincti sunt dati Baptismi: *Matth. 3. Luc. 3. Ego baptizo. &c. ille baptizabit.* Baptismus vero Christi à Sanctis Patribus intelligitur isthic ille in aqua, non solum in igne. In primitiua autem Ecclesia, post Baptismum aquæ mittebatur & in igne visibilis. Fuerunt enim tria Baptismata: Aquæ